



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Quando laßi sumus. Exercit. 24

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

Quando laesi sumus.

Exercitium. 24.

Ioan. 4. Fatigatus ex itinere Iesus, sedebat
 sic supra fontem.

Matt 15. Venite ad me omnes, qui laboratis
 & onerati estis: & ego reficiam vos.

Esai. 43. Servire me fecisti in peccatis tuis:
 prabisti mihi laborem in iniquitatibus
 tuis.

Consideratio.

CONsiderabimus. Christum Re-
 demptorem nostrum saepe nostri
 causa, cum in terris viueret, fatiga-
 tum fuisse: speciatim in sua passione,
 in qua propter laborem, & ingentem
 agoniam animæ suæ, sanguinem su-
 dauit.

Gratiarum actio.

GRatias reddemus ei, quod nostri
 causa saepe magnos labores & fa-
 tigationes tolerauerit: quodque se
 constituerit laborantium refrigerium:
 quod denique sempiternam requiem
 nobis in caelis præparauerit.

Confusio.

Pudo-

PVdore suffundemur, considerando, quantos sæpè labores & sudores exhauriamus in semita iniquitatis & perditionis perambulanda: imo tãquam infani & mentis inopes, laborem reputamus requiem: & lassitudinem voluptatem: contra vero etiam minimi labores, qui se nobis offerunt in diuino seruitio, videntur nobis intolerabiles.

Petitio.

ROgabimus Deum, vt lassitudinem nostram suscipiat in peccatorum nostrorum expiationem: nobis que vires præbeat in præsentis vita quoscunque labores & fatigationes Maiestati suæ acceptas sufferendi: & tandem post hosce labores, ad æternam requiem, in diuinitatis suę habitaculum transferat.

Oblatio.

Offeremus Deo, lassitudinem nostram simul cum laboribus & fatigationibus, quas Christus in terris degens sustinuit: & ad tolerandam amore Dei, omnem laborem & fatiga-

tionem in diuino seruitio se offerentem.

Quando ambulamus vel iter facimus.

Exercitium 25.

2. Cor. 5. Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.

Psalm. 67. Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Matt. 9. Circuibat Iesus omnes ciuitates & castella, docens in synagogis, & predicans Euangelium regni: & curans omnes languores, & omnem infirmitatem.

1. Pet. 2. Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos: abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.

Psalm. 118. Aduena ego sum in terra, non abscondas à me mandata tua.

Consideratio.

CONSIDERAB. mus. it nera, quæ Christus, cum peregrinaretur in hoc mundo confecit: transeundo de ciuitate in ciuitatem, de loco in locum: aliquando per mare, aliquando per terram: vt vbique perditam ouem in-

qui-